UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor, Coordinatus, Seu Omnes ...

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

108. An possit Sacerdos incipere Missam vna hora integra post meridiem sine priuilegio, & causa? Et notatur, posse aliquando differi Missam vsque ad horam nonam: & primò facere possunt Religiosi, non ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-76405

Visual Library

RESOL. CV.

An Sacerdos, paulo poſt meridiem poſſit Miſſam dicere? Ex part.4.tr.4. & Miſc.Reſ.105.

Sup. hoc in Reſ. præterita, & in aliis eius primæ annot.

§.1. TEmpus legitimum celebrandi eſt antemeridianum, ita vt ante meridiem inchoari debeat Sacrum, & ſic negatiuè quidam reſpondit in caſu contingenti ad dubium præſentis reſolutionis.

2. Verùm ego contrarium docui, per ea quæ adducit Ioannes Præpoſitus *in 3.part. D.Thom. q.83. art.2.dub.4.n.*143. vbi ſic ait: Plures recentiores notant nos non debere eſſe magnopere anxios de meridie, ſed paulo poſt meridiem poſſe Sacrum celebrari, quia res hæc moralis, quæ non eſt lege determinata, non definitur termino indiuiſibili ex ipſamet conſuetudine, & parum reputatur pro nihilo. Sic ille.

RESOL. CVI.

An quis licitè poſſit dicere Miſſam vſque ad primam horam poſt meridiem?

Et non eſt dubitandum, quod ratione itineris poſſit Miſſa celebrari ad primam horam poſt meridiem; & in ſolemni Feſto quando officium finitur ad horam ſecundam, in ea poſſit Miſſa inchoari, vt populus, vel pars populi audiat in illa hora Miſſam. Ex part.5. tract.13.Reſ.7.

Sup. hoc in Reſolutionibus, & §§. poſitis in annot. vlt. huius Reſ.

§.1. DIcam quid ſentiat Philippus de la Cruz *en ſu Norte de Confeſſores, tr.*10.*§.3.corol.2.fol. mihi* 161. vbi ſic ait. [Haſta medio dia, que ſon las doze ſe puede dezir Miſſa ſin opinion. Lo que haze dificultad es ſaber ſi ſe puede dezir Miſſa deſpues de ellas, y no comprehendemos los Obiſpos, Patriarcas, Arçobiſpos que pueden dezir Miſſa antes de amanecer, y deſpues de medio dia, y dar licencia para dezilla a eſta hora, y antes que amanezca, y de noche por alguna cauſa ò neceſſidad, ſegun lo tiene Paludano, y ſan Antonio, y lo que por epiqueya ſin licencia del Obiſpo interueniendo alguna neceſſitad celebran en los dichos tiempos, como lo reſuelue Nauarro: No hablamos tampoco de quando ay alguna fieſta principal, y ſe acaba el Officio à la dos, ſe puede dezir Miſſa, porque no quede el pueblo, ò parte del ſin oyrla. O quando alguna camina que podra llegando cerca de la vna dezir Miſſa, como no ſea deſpues, ſegun lò tiene Manuel Rodriguez. Supueſto lo dicho podraſſe dezir Miſſa dadas las doze, haſta la vna ſin exceder mas. Aſſi lo vemos pueſto en vſo, y que los Pontifices lo ven, y los Obiſpos aquien es de oficio les compete ſu diſpenſacion, no hablan ſino que lo permiten, y pueſto que no hemos de andar midiendo los tiempos, y no conſiſtir in indiuiſibles, y que los relojes no ſiempre andan vniformes, antes ſiempre ſucede vnos andar media hora antes, ò deſpues de otros, y aſſi ſerà quedando el vltimo las doze, à la media hora deſpues del primero vendra à ſer, que reſpeto del vltimo, aunque la Miſſa ſe diga à la vna, ſerà en orden al primero relojo las doze y media. Non obſtante eſta razon, ſino por las antecedentes ſe puede dezir generalmente haſta la vna, y ſi de aqui ſe excedieſſe el Sacerdote pecaria mortalmente.] Hæc ille, qui magis amplè loquitur, quàm Ioannes Præpoſitus; quem citaui *in 4.p.tr.4.reſ.*105. Sed contrariam ſententiam docent communiter Doctores.

Sup. hoc infra in Reſol. 146.§.Supra dictam, &c. Sup. hoc ſupra in fine Reſol.104. Sup. hoc in duabus Reſ. præteritis, & in duabus ſeqq. & infra in Reſ.146. §.Ex his. & ſupra in Reſol.103. §. vlt. & in tom.3.tr.6. Reſ.66. §.3. ad medium, verſ. Et tamen. & in tom.9.tr.7. Reſ.49.§.De priuilegio. poſt mediũ à verſ.Imò.

RESOL. CVII.

An in prohibitione celebrandi poſt meridiem detur paruitas materiæ? Ex part.5.tr.5.Reſ.58.

§.1. HAnc quæſtionem, me citato *in tract. de celebrat. Miſſ. reſol.* 34. pertractat P. Lugo *de Sacram. Euchar. diſp.*20.*ſect.*1.*n.*37. & dicit tempus prohibitionis ne celebretur poſt meridiem, non eſſe accipiendum mathematicè, ſed moraliter. Vnde aliqui dicunt poſſe tertia parte horæ poſt meridiem inchoari Miſſam. Alij extendunt ad ſemihoram, alij ad tres ferè quadrantes, alij ad horam non integram. Verùm ipſe Lugo non excuſat ita celebrantes propter paruitatem materiæ, ſed quia quod intra illum terminum fit, reuera intra debitum terminum & tempus fit obligationis. Sed Bonacina *de Sacram. diſp.*4. *quæſt. vlt. punct.*9.*n.*9. videtur ſupradictos excuſare ratione paruitatis materiæ, ex exemplo quod adducit de laborantibus in diebus feſtiuis: ſic enim aſſerit: Mihi via incedenti ad peccatum mortale videtur requiri ſpatium trium quadrantum, vel etiam horæ, ſicut enim ſpatium horæ ſufficit ad contrahendum mortale peccatum, quoties opera ſeruilia in die feſto exercentur; ita ſi quis per horam poſt meridiem non perficiat Miſſam, non videtur à mortali excuſandus præciſa iuſta cauſa. Ita ille.

Quæ hic eſt ſupra Reſol. 104. & in multis aliis eius primæ not.

2. Resol. LVIII. *pag.*158. *in fine reſol.* adde: Et idem videtur docere Fagund. *pr.*1. *lib.*3. *c.*18.*n.*6. vbi videtur agnoſcere paruitatem materiæ ex parte temporis in celebratione Miſſæ; nam poſtquam dixit eſſe peccatum mortale notabiliter ante auroram ſacrificare, ſubdit. Videndum nunc eſt, quænam ſit iſta notabilitas, vt inde mortale, vel non mortale colligamus. Et adducit Azorium *tom.*1.*lib.*10.*c.*25.*q.*6. dicentem, tertiam partem horæ eſſe tempus notabile ante lucem, & ſufficere ad peccatum mortale. Et Henriq. *lib.*9.*c.*24.*n.*5.*in fine*, dicentem dimidium horæ ante lucem ſufficere ad peccatum mortale, quam ſententiam ipſe Fagundez ſequitur, vnde videtur indicare minus ſpatium temporis ſufficere ad peccatum veniale, non ad mortale. Sed circa præſentem quæſtionem ne deſeras videre vbi ſuprà Lugum inter Theologos noſtri temporis nemini ſecundum.

Sup. hoc ſupra in Reſ. 101.§.1.& 2. & in Reſol. 103. §. Sed his ad lin.7. & in tom.9. tr.7.Reſ.49. §. Etenim, & ſeqq.

RESOL. CVIII.

An poſſit Sacerdos incipere Miſſam vna hora integra poſt meridiem ſine priuilegio, & cauſa?

Et notatur poſſe aliquando differri Miſſam vſque ad horam Nonam, & primo hoc facere poſſunt Religioſi, non tamen abſolutè, ſed ratione itineris, vel ex alia iuſta cauſa.

Secundo an in funere Regis, aut Principis poſſit Miſſa incipi ante meridiem, & protrahi vſque ad Veſperã, vel Nonam, vel quartam horam poſt meridiem: & quando Epiſcopus ſacros celebrat Ordines, tunc enim licitum eſt incipere Miſſam poſt Veſperas, aut Nonam ſi actus Ordinis ante meridiem cœptus eſt, eademque ratio eſt in Sabbatho Sancto.

Tertio ratione itineris, aut alterius neceſſitatis, an poſſit inchoari Miſſa à quolibet Sacerdote vna hora poſt meridiem.

Et tandem quæritur, an ſi Sacerdos in caſu ſibi non conceſſo celebraret duas, vel tres horas poſt meridiẽ, & aliquis audiret talem Miſſam, an iſte ſatisfaceret præcepto de audienda Miſſa in die feſto?

Et quo quis poteſt deducere quoddam abſurdum, ſed diſſoluitur, videlicet, an quis poſſit ſatisfacere præ-

cepto audiendi Miſſam pro die Dominica, ſi in ipſa Dominica audiret Miſſam, quæ in Capella Papali dicitur ante mediam noctem, quando dies Natalis Domini incidit in Feria II. Ex part.10.tract.12.& Miſc.2.Reſ.22.

Sup. hoc quàuis non tam plenè, & abſolutè, lege tamen ſi placet doctrinã quatuor præteritarum Reſ. & aliarum earum primarum annotationum.

§.1. NEgatiuè reſpondet Tamburinus *Opuſc. de Sacram. Miſſæ, lib.*1.*cap.*6. §.4.*n.*22. Opatonius *de ſacram. tract. de Euchariſt. diſput.*1 r.*q.*2.*n.*2. Franciſcus de Nigro *in Addit. ad Ruyz part.*6. *Animad.*2.*q.*10. Hieronymus Garcias *in ſumma tract.*3. *diffic.*8.*dub.*1.*punct.*1.*n.*12. quod confirmatur ex priuilegio Gregorij XIII. quod adducit Amicus *in Cur. Theol. tom.*7.*diſp.*33.*ſect.*12.*n.*329. nempe, poſſe Patres Societatis per vnam horam incipere Miſſam poſt meridiem. Ergo ſine priuilegio apparet hoc non eſſe licitum. Quod etiam confirmatur ex auctoritate Doctorum, quos citat, & ſequitur Caſtrus Palaus *tom.*4. *tract.*22.*punct.*7.*n.*14. nempe, ex recepta conſuetudine, poſſe vna hora poſt meridiem Miſſam inchoari, quando in die feſto ratione itineris, aut alterius neceſſitatis inchoari non potuit. Ergo non erit licitum præter hos caſus.

2. Verùm, his non obſtantibus, affirmatiuam ſententiam docet P. Leandrus *de ſacram. tom.*2. *tr.*8. *diſp.*6.*q.*11. vbi tenet, Miſſam poſſe incipi vna hora integra poſt meridiem: & teſtatur de communi vſu, & praxi Clericorum. Et ideò Martinus de San Ioſeph *in monit. Confeſſar. tom.*1.*lib.*1.*tract.*14.*Euchar. tom.*13. ſic ait: [Y aun ſin priuilegio, ni cauſa alguna, me parece que podran dezir Miſſa qualeſquiera Sacerdotes à la vna del dia, porque aſſi eſtà pueſto en coſtombre, que ha preualecido contra la ley: y en Madrid he oydo tañer en Miſſa deſpues de la vna y media del dia.] Ita ille.

3. Nota tamen, poſſe aliquando differri Miſſam vſque ad horam nonam. Et primò hoc facere poſſunt Religioſi ex priuilegio, non tamen abſolutè, ſed ratione itineris, vel ex alia iuſta cauſa, vt docet me citato, Dicaſtillus *de ſacram. tom.*1.*tract.*5.*diſp.*4.*dub.*5. *num.*84. & me citato, Auerſa *de ſacram. Euchar. q.*11. *ſect.*5. & alij. Secundò, in funere Regis, aut Principis poteſt Miſſa incipi ante meridiem, & protrahi vſque ad Veſperam, vel Nonam, Henriquez *lib.*9.*c.*14. *num.*6. *litt. A.* dicit, ita practicatum fuiſſe Salmanticæ in funere Regum, & finitam Miſſam hora 4. poſt meridiem. Fagundez *præcept.*1.*lib.*3.*c.*17.*n.*19. Quid id ipſum dicendum putat, quando Epiſcopus Sacros celebrat Ordines, tunc enim licitum eſt incipere Miſſam poſt Veſperas, aut Nonam, ſi actus Ordinationis ante meridiem cœptus eſt; & ob eandem rationem poterit in Sabbatho Sancto incipi longè poſt meridiem Miſſa ob longum officium Eccleſiaſticum, vt docent ipſi Doctores cum Nauarro *de orat. noct.*3. *n.*244. Tertiò, certum eſt ex Suar. Rodriguez, & aliis, vt notat Dicaſtillus *vbi ſuprà n.*76. & 82. poſſe vna hora poſt Meridiem Miſſam inchoari à quolibet Sacerdote, quando in die Feſto ratione itineris, aut alterius neceſſitatis inchoari non potuit, & hoc ex recepta conſuetudine, vt cum aliis obſeruat Caſtrus Palaus *tom.*4.*tract.*22.*punct.*7.*n.*4.

Sup. hoc ſupra in Reſol. 103. §. Sed his in fine, & curſim in Reſ. 104. §. vlt. & magis latè infra in duabus Reſ. ſeqq.

4. Sed difficultas eſt, an Sacerdos in caſu non ſibi permiſſo celebraret Miſſam duas, vel tres horas poſt meridiem, & aliquis audiret talem Miſſam, iſte ſatisfaceret præcepto? & negatiuè videtur reſpondere Paſqualigus, deciſ.311.*num.*8. quia præceptum audiendi Miſſam videtur ſubordinatum præcepto non celebrandi tranſacta tali hora diei: atque adeò videtur obligare ad audiendam Miſſam intra illud tempus, intra quod de iure communi poteſt celebrari, atque adeò niſi audiatur, non ſatisfacit præcepto.

Sup. hoc ſupra in Reſ. 104. curſim in fine, & in Reſol. 106. etiam breuiter ad medium, & infra in Reſol. 146. §. Supra dictam. in fine.

Verùm illum impugnat Leandrus *de Præceptis Eccleſiæ, tract.*2. *diſp.*1.*q.*26. quia præceptum ſanctificandi Feſta, quod includit abſtinentiam ab opere ſeruili; & auditionem Miſſæ incipit à media nocte, & deſinit in mediam noctem: Ergo, qui quacumque hora harum viginti quatuor audierit Miſſam, dummodo pro illa die dicatur, præcepto illius ſatisfaciet. Nec obſtat, quod præceptum audiendi Miſſam coarctetur ad tempus præſcriptum à iure communi pro celebratione. Vnde dicendum eſſet, quod ſi aliquis induceret Sacerdotem ad dicendam Miſſam duas, vel tres horas poſt meridiem; peccaret vtique, ſed ſatisfaceret præcepto audiendi Sacrum. At quicquid ſit de hoc certum eſt, quod qui extra tempus præſcriptum à iure audiret Miſſam, quæ diceretur vel conſuetudine, vel ex diſpenſatione, aut priuilegio, certum eſt, inquam, quod is ſatisfaceret obligationi audiendi Miſſam.

5. Nec ſupradictis obſtat, quod ex ſententia Leandri ſequeretur, quemlibet ſatisfacere præcepto audiendi Miſſam, ſi in die Dominica audiret Miſſam, quæ in Capella Papali dicitur ante mediam noctem, ſi Natiuitas Domini incideret Feria ſecunda: Sed hoc dicere videtur abſurdum: Ergo. Reſpondeo enim, audientem talem Miſſam non ſatisfacere præcepto: Primò, quia, vt docet Cardinalis Lugo *de Euchariſt. diſput.*15.*ſect.*3.*num.*56. & alij, illa Miſſa non dicitur in die Dominica, ſed in die Feriæ ſecundæ Natiuitatis, quæ aliquantulum anticipatur à Papa pro illo loco. Sed cùm hæc opinio non placeat Patri Dicaſtillo, *vbi ſuprà tract.*4. *diſp.*9.*dub.*17.num.404. ideò ipſe obſeruat, intra diem ſolemnitatis Eccleſiaſticæ non omnia munia, ſeu actiones, & functiones, quæ in tali die permittuntur, aut requiruntur quouis tempore, ſeu hora illius diei eſſe licita, aut permiſſa, ſed aliqua in quibuſdam horis, alia in aliis. Sic videmus Sacrum (excepto die Natiuitatis) non poſſe dici ſine priuilegio tempore nocturno, ſed tantùm ſub aurora vſque ad meridiem, aut aliquanto poſt, plus minuſve, iuxta varias ſententias. Præterea, vt rectè notat Thom. Sanchez *Conſiliorum Moralium lib.*7.*cap.*2. licet quoad contractus, & alia huiuſmodi, dies incipiat à media nocte; tamen quantum attinet ad Officium Diuinum, & celebrandum Eccleſiaſticas Solemnitates, incipiat dies à Veſperis. Pro qua ſententia refert D. Thomam *Quolibet* 5. *art.*28. *in corpore*, Caietanum *verb. Hora*, & alios Doctores. Nihilominus non omnes Horæ Canonicæ dici poſſunt poſt Veſperas, & Completorium, ſed tantùm Matutinum, & Laudes; Prima verò, Tertia, Sexta, & Nona nonniſi ſaltem poſt mediam noctem, ſecluſo ſpeciali priuilegio. Atque hac ratione dicendum eſt de Miſſa, non poſſe dici poſt Veſperas, ſed poſteà ſub Auroram; quia pro eo genere celebritatis eſt determinata quædam temporis latitudo: non quia nondum ſimus intra diem Feſtiuitatis Eccleſiaſticæ, ita vt ſi per nefas diceretur Sacrum, non diceretur intra Feſtum, cùm iam ſimus in illo; ſed quia intra ipſam diem non ſumus in horis legitimis ad id faciendum. Vnde, ſi Pontifex diſpenſet, vt per aliquas horas aliquando anticipetur, vel poſtponatur Miſſa; non cenſetur diſpenſaſſe, vt dicatur extra diem, indulgendo vt poſſit prius, vel poſtea celebrari. Iuxta hanc ergo doctrinam dicendum eſt, Pontificem pro Sacello ſuo de quo agimus, diſpenſare, vt Sacrum celebretur ante mediam noctem pro ſolemnitate Natiuitatis; illud tamen Sacrum ſpectat ad diem Natiuitatis; non quia anticipetur dies Eccleſiaſtica feſti Natiuitatis, quæ à Veſperis iam incepit; ſed quia permittit, aut fortè mandat, vt tale Sacrum dicatur ante horas ſolitas in aliis diebus: (hoc enim vbique gentium fit

illa

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN

illa nocte celebrando ſtatim poſt mediam noctem) ſed etiam ante horam ſolitam in cæteris Eccleſiis pro illa nocte; &, vt hoc fiat diſpenſat in ieiunio ſeruari ſolito, vt poſſit Cardinalis celebrare. Hucuſque Dicaſtillo; Ex quibus patet reſponſio ad argumentum adductum contra doctrinam Leandri.

6. Negandum eſt enim, ſi Vigilia Natiuitatis venerit in Dominica, per illam Miſſam impleri præceptũ Miſſæ audiendæ in Dominica; tùm quia eo ipſo, quòd Pontifex illam Miſſam non computet pro Dominica; ſed pro ſequenti Feſtiuitate, cenſetur non approbare illam Miſſam pro præcepto Dominicæ; tùm quia eò ipſo, quòd Eccleſia determinat tempus intrà quod poſſint dici Miſſæ Dominicæ, vel Feſti colendi, cenſetur conſequenter velle, vt non in aliud tempus differatur Miſſæ auditio, præſertim ſi Miſſa alterius temporis non computetur in Eccleſia pro illa die, ſed pro die altera quæ in aliquibus horis communicat cum præcedenti quoad aliquas functiones, non verò quoad Miſſam. Dicendum eſt itaque cum *Patre Leandro*, aliquem adimplere præceptum audiendi Miſſam, ſi audiret Sacrum celebratum poſt duas, vel tres horas poſt meridiem: nam licèt Sacerdotes ſic celebrantes peccarent, Audientes tamen illam Miſſam ſatisfacerent præcepto.

RESOL. CIX.

An Regulares poſſint vigore priuilegiorum celebrare ex iuſta cauſa vſque ad Horam Nonam incluſiuè?

Et in textu huius Reſolutionis aſſignantur aliquæ cauſæ iuſtæ pro hoc faciendo.

Sed quæritur, an dicta priuilegia per Concilium Tridentinum ſeſſ.22. ſint reuocata? Ex p.10.tr.15. & Miſc.5.Reſ.27.

Sup. hoc ſupra in Reſ. 103. §. Sed his. in fine, & in Reſol. 104. §. vlt. & in Reſ. 108. §. Nota tamen, & infra in Reſ. ſeq. in principio.

§.1. AFfirmatiuè reſpondet Tamburinus, *opuſc. de Sacrif. Miſſæ, lib.1.c.6.§.4.n.24.* ex conceſſione Eugenij IV. facta Congregationi Sanctæ Iuſtinæ, & poſtea *n.25.* ſubdit: Iuſtam autem cauſam iudico quodlibet impedimentum quo quis propter rationem alicuius momenti non poteſt antea Miſſam incipere. Dico (alicuius momenti) ſi quidem non ſufficit ſolum vt non commodius celebres, nec ex eo, quod tardius è lecto per ſegnitiem exſurrexeris, nec vt ſtipem cum eà non indigeas lucrari valeas, &c. è contra ſufficiet, præter iter faciendum infirma valetudo quo tardius cogaris è lecto, vel è tecto exire, ſtudium neceſſarium ad concionem vel ſimile, ſi poſt Miſſam illi ſtudio vacare non poſſis, negotium alicuius momenti, quod differri non poteſt, multitudo confeſſionum, ſi poſt Miſſam illis ſatisfacere non valeat, imò, & confeſſio incepta, quam ægrè differre pœnitens ferat, & eleemoſyna, qua ad victum indigeas, & his non abſimilia potius morali iudicio, quã certa regulà definienda. Semper ergo præ oculis habendum erit; debere intercedere aliquam neceſſitatem, nec quidem maximam, cùm ſimus in priuilegiis, quæ in nullius ſunt præiudicio, nec verò modicam, cùm ſimus in re non leui. Ita ille.

2. Nota tamen, quod P. Lezana *in Summa tom.1. cap.21.n.2.* putat hodie non valere hoc priuilegium, quod etiam docet Panuinus *in priuileg. maxim. tom.1. Conſtit. vnica, Pij V. §.7.n.19.* & Naldus *ver. Miſſa num.30.* quia Pius reuocauit omnia priuilegia Regularibus ad id conceſſa, quam Conſtitutionem, refert Naldus *vbi ſuprà.*

3. Sed his non obſtantibus ego ſententiam Patris Tamburini ante ipſum docui, quam poſtea tenent me citato Cardinalis Lugo *de Sacram. Euchar. d.20. ſect.1.n.42.* & me citato Leandrus *de Sacram. Pœn.2. tract.8.diſp.6.q.10.* & me citato Martin. de S. Ioſeph. *in Mon. Confeſſ. tom.1.lib.1.tract.14. de Euchar. n.14.* quam iterum nunc magis explico & declaro.

4. Dico itaque ex dicto Priuilegio Eugenij IV. poſſe Regulares ratione itineris, & ex iuſta cauſa differre Miſſam vſque ad tres horas poſt meridiem, quod etiam non eſt vniuerſaliter verùm, ſed in æquinoctio, nam in ſolſtitio hyemali noua hora attingit ſolum ad ſecundam poſt meridiem cum quadrante; in ſolſtitio autem æſtiuo vſque ad horam tertiam poſt meridiem cum tribus quadrantibus.

5. Non eſſe verò reuocatum dictum priuilegium Eugenij IV. patet ex his, quæ docui alibi, & me citato docet Cardinalis Lugo, *vbi ſuprà, n.29.* qui loquens de quodam ſimili priuilegio ſic ait: Circa illud tamen dubitari poteſt. An ſit reuocatum per Concil. Trident. ſeſſ.22. ſecreto de euitandis in celebratione Miſſæ. Nam Fagundez *vbi ſuprà, n.3.* cum aliis dicit eſſe reuocata ibi omnia eiuſmodi priuilegia, quia nimirum Concilium inter alia prohibet ne Sacerdotes aliis, quàm debitis horis celebrent, & in fine addit, non obſtantibus priuilegiis, ac conſuetudinibus quibuſcunque. Ita Cardin. Lugo, & tandem pro hac ſententia alibi adduxi doctum Dicaſtillum *de Sacram. tom.. tr.5.diſp.4.dub.4.n.68. qui n.70.* explicat Bullam Pij V. & *n.71.* hæc addit: mihi perſuadeo noſtrum Suarium grauioribus fortaſſe occupatum ſtudiis non legiſſe, aut non ſatis attentè prædictum motum proprium Pij V. quem ſi legiſſet, proculdubio non dixiſſet. Pius V. ſpeciali quodam motu proprio vetuit omnes nocturnas, vel matutinas Miſſas.

Alibi ſuprà in Reſ.102. §. Sed quidquid. ſed lege eam per totam, ſicut etiam Reſ. 103. & infra ex Reſ. ſeq. §.1. in fine, & §. Sed hanc.

Alibi in Reſ. 2. not. præteritæ. §. Sed his. ad lin.3. & in Reſ.3. §. Idem etiam.

RESOL. CX.

An Regulares poſſint dicere Miſſas vſque ad horam Nonam?

Et quid de alio priuilegio Leonis X. dicendi Miſſam ſtatim poſt mediam noctem? Ex part.11.tract.2. & Miſc.2. Reſ.2.

§.1. HOc dubium pertractat Brunus *part.2. tr.8. cap.1. propoſ.3.* & reſpondet affirmatiuè ex priuilegio ſpeciali, ac primò ex conceſſione Leonis X. in præcedenti propoſitione præcitata huius tenoris. Conceſſit vt de licentia ſuorum Superiorum poſſint celebrare poſt meridiem, præſertim diebus quando eſt de audienda Miſſa præceptum, & quando fratres debent ambulare, ſeu de via veniunt, & non poſſunt ante meridiem applicare ad locum, vbi commodè poſſunt Miſſam audire, vel honeſtè celebrare. Secundò, ex conceſſione Sixti IV. facta etiam Minoribus, quam refert Chriſtoph. *à cap. font. poſt Collectorem priuileg. Mendic. in ſuo compend. priuileg. verb. celebratio Diuinorum* §.6. his verbis; conceſſit quod Fratres Minoris obſeruantiæ Sacerdotes, poſſint cauſa neceſſitatis poſt horam ſtatutam ab Eccleſia celebrare: verum cum hæc duæ conceſſiones in aliquo deficiant; Primò, in hoc, quod tempus non determinat, ſed indeterminatum relinquit, nec quidquam Regularibus concedit; niſi cum licentia Superiorum; Secundò, quod etiam tempus non determinet, cum inter Doctores ſit diuerſitas opinionum, quod tempus ſit ſtatutum ab Eccleſia ad Miſſas legitimè celebrandas, ſitque limitata per caſum neceſſitatis, ea propter ad alias conceſſiones procedendum eſt. Probatur ergo tertiò ex conceſſione Innocentij VIII. relata ab eodem Chriſtoph. *poſt collect. priuileg. Mendic. in citatis compend. & verbo* §.7. & 9. Conceſſit Fratribus Ordinis Prædicatorum Congregationis Hiſpaniæ reformatis, quod poſſint celebrare Miſſam per horam poſt meridiem,

Sup. hoc ſed minus ample ſupra in Reſ.103. §. Sed his. curſim in fine, & in Reſol. 104. §. vlt. & & in Reſol. 108. §. Nota. & in Reſol. 109.

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK PADERBORN